



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und  
Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten**

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

Dominica Septuagesimæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](#)

repulsa magnis multisque peccatis aditum patet. Societas, quæ initio honesta videbatur, paulatim degenerat in vitium, & velut dulcis hamus capit non cogitantem, eundemque jam recedere metuentem plurimis peccatis implicat. Atqui ejusmodi societatum pericula sollicitè esse fugienda, si etiam alia ratio nulla suppeteret, satis S. Scripturæ, & SS. Patrum oraculis docemur. *Mense V. Disc. 135. pag. 270.*

4.

*Ee fit arbor. Matth. 13.*

Non frustra luxuriæ vitium vocatur lubricum; sicut enim ex grano sinapis grandis facile succrescit arbor multosque ramos extendit, ita facile juventus lubrica, velut in glacie facto impetu procurrentes, in plurima & innumera peccata prolabitur. Est hæc libidinis indoles, ut innumeram peccatorum multitudinem intra eandem speciem progignat, & alia quoque accumulet, ac, quod pessimum, voluntatem contra omnia salutis remedia faciat contumacem. *Mense V. Disc. 132. pag. 191.*

## DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

1.

*An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*  
*Matth. 20.*

Mutat hodie Ecclesia colorem candidum in violaceum, testatura dolorem suum propter Domi-

## CONCIONATORIUS.

71

Dominicam Passionem. Aequum ergo est, ut & nos ejus memoriam repetamus. Aptè hodiernum nobis Evangelium homines refert, qui Patremfamilias ideo reprehendunt, quòd fuerit in omnes justus, in quosdam liberalis. Eādem de causâ Judæi exarserunt in JESUM, quærentes initio consilio ejus interitum ex mera invidia. Explicatur hæc Mense XI. Disc. 306. pag. 1. Cogitaverunt ut interficerent eum: quia hic homo multa signa facit. A Numero 4. usque ad 11. pag. 6.

2.

*Ite & vos in vineam meam. Matth. 20.*

Vinea hæc, ut S. Gregorius M. explicat, universalis est Ecclesia, quam Christus plantavit in sanguine suo: ad eam vocat nos omnes, ut in calaboremus, & ampliori fructu nos dignos faciamus. Ipse certè omnia pro nobis fecit, quæ potuit: quid potui facere vineæ meæ, & non feci? Isa. 5. Suscepit in se acerbissimam Passionem amore hominum. Mense XI. Disc. 307. pag. 19. usque ad num. 10.

3.

*Accipientes murmurabant adversus Patremfamilias. Matth. 20.*

Justo dolori fuisse debet Patrifamilias operariorum iniquitas, qui eo momento, quo pactam mercedem justissimè persolutam accipiebant, murmurare non erubuerunt. Quantus igitur esse debuit dolor Christi, qui gratis venit in mundum, ut omnibus benefaceret, & tamen non à paucis, sed ferè ab omnibus gravissimos dolos.

c 4



dolores ac injurias passus est. Mense XI. Disc. 309.  
pag. 55.

4.

*An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*  
Matth. 20.

Planè nequam & perversus erat oculus Judæorum, cùm Barrabam peterent liberari, in quo nihil unquam boni viderant, malefacta palam agnosebant; Christum verò ad mortem exposcerent, à quo tot acceperant & accepta noverant beneficia. *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi?* Mich. 6. *An oculus tuus nequam est. quia ego bonus erga te fui?* Mense XI. Disc. 330. pag. 459.

5.

*Murmurabant adversus Patrem familias.*  
March. 20.

Qui primi accesserant vineam, acceperunt ex conventione facta denarium suum, & debebant esse contenti: ut murmurarent, fortè non omnibus venisset in mentem: unus invidiâ impulsus plus petebat, & jam non solus murmurabat, sed ejus exemplo murmurabant & reliqui: ea vis est scandali, ut etiam in æquissimi Patrisfamilias injuriam prorumpat. Videamus hoc maximè tempore Bacchanaliorum, quanta ex malis quorumdam exemplis injuria fiat Christo. Mense IV. Disc. 92, pag. 1.

DOMI-